



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Obedientia juuari ægrotos, inobedientia dejuuari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

lucis fuerat transfiguratus. Prior verò captus admiratione, ac quadam commiseratione illius, aliquantulum lenitus iussit ipsum stratum ascendere. Ex hoc enim tantam membrorum debilitatem contraxerat, sicq̃ humores indurati fuerant, ut vix spiritum ad quiescendum haberes. Tertiâ nocte Diabolus, ut prioribus, adfuit: quem ut conspexit Vir sanctus (jam in increpationes proruperat) ait: O nequissime generis humani hostis, ô impudice canis, ô immunda bellua, quomodo meam ausus es simplicitatem deludere, ceu Zelum qualemcumq̃, erga Ordinem præ te ferens? & ego quidem nisi hoc Omnipotentis DEI dispensatio permisisset, sapientius aduertissem, quòd multò melior est obedientia, quàm stultorum victima: & in eius faciem exspuens eum fugauit. Post paucos autem dies conualescens, iter cœptum perfecit.

Nimirum corrumpitur atque dissoluitur imperantis officium, si quis ad id, quod facere iussus est, non obsequio debito, sed consilio non considerato respondet. At deceptus est Iordanus; ab Angelo se moneri putauit; & videbatur ad perfectiora ac rigorem moneri; denique ipse Generalis, ac proinde Prioris illius Superior erat: nihil ergo admodum referre putabat, si de molli lecto surgeret, & in terram se abiciens humi cubaret. Cùm ergo putaret se bene agere, malè agebat, quia non Deo, sed diabolo obediebat. Atque idcirco non ad sanitatem, sed in peius promouebatur; quemadmodum ille alter monachus, qui venam sibi valetudinis causa curauerat aperiri, sine permissu Superioris, quod S. Odo illius Cluniacensis monasterij Abbas ægrè tulit. Quare monachus, fluxione sanguinis, qui nulla fuit potuit arte, obedientiæ violatæ pœnam obijt. In vtramque igitur partem vtendum, vel non vtendum est medicina; semper tamen obedientia comitante, quæ nos ducit ad vires, quibus Deo seruiamus; & consilia medicorum dirigit ad eos effectus, qui diuinam & potentiam & bonitatem, etiam in naturalibus auxilijs illustrent. Et illustrauit sæpe, apud eos, qui medicorum cura periculosis morbis liberati, Deo grati extiterunt; cùm & munera ad aras & templa ferrent; & votis se exoluerent; & pauperibus largitiones amplas facerent; aut denique etiam vitam, quam depositam jam deploratamq̃, per industrias medicorum, non sine singulari DEI auxilio, recuperarunt, postea omnino diuino cultui consecrarent.

Restat

VIII.

Ioan. Mon.  
lib. 3. vitæ S.  
Odonis c. 3.  
Sur 18. Nou.